

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Prelacio bn  
cum fonte primo

Non errores pontificum abscondi  
possunt oculis →  
sed eciam exigua  
eorum celeriter innotescunt. Nam et  
athleta tamdiu domi manet et cum  
nullo congregitur,  
potest quod infirmus sit latere. ←  
Cum uero nudus in agone constiterit,  
qualis sit confestim probatur. Ita ergo et  
qui priuatam  
uitam et non multis occupatam negociis  
agunt,  
habent uelamen delictorum suorum  
ipsam solitudinem. Cum uero  
adducuntur in medium et illo secreto  
sicut uestibus exuuntur per apparentes  
motus quasi nudas  
animas suas sistunt oculis intuencium.

Crisostomus ibidem (in dyalogo) libro  
III.

Neutiquam enim  
possunt sacerdotum vitia latere,  
sed etiam exigua  
cito conspicua sunt. Siquidem  
athleta quamdiu domi manet, et cum  
nullo congregitur,  
licet infirmior sit, occultare se potest;  
cum autem nudatus in arenam descendit,  
statim qui sit evincitur. Homines itaque  
qui seorsim et in otio  
uitam  
agunt, vitiorum  
suorum tegmen habent  
solitudinem;  
in medium adducti,  
sicut vestimentum solitudinem exuere  
coguntur, exque externis motibus nudum  
omnibus animum exhibere.

Iohannes Chrysostomus, *Dialogus de*  
*sacerdotio*, 3, 14 (PG 48, col.650).